


Bibliothèque numérique

medic@

Michaud, Charles-François - candidat  
/ Botentuit Langlois, Pierre-Mathurin -  
président. - An lati juxta intestinum  
rectum suborti abscessus quandoquè  
simplicem incisionem, quandoquè  
ipsius intestini sectionem requirant ?

1788.

*Paris : Apud Clousier, Regis,  
nec non regii Chirurgiae  
Collegii, Typographum, viâ  
Sorbonae :*  
*Cote : ms 2346, n°23*



CELSO ET POTENTI  
 D. NICOLAO-LUDOVICO-FRANCISCO  
 DE DELLEY,  
 BARONI D'ACHERES, EQUITI,  
 ANTIQUO REGIS IN CASTELLETO ADVOCATO,  
 ANTIQUO IN SUPREMA CURIA SENATORI,  
 SUPREMÆ RATIONUM CURIÆ PRÆSIDI DESIGNATO,  
 DICAT, VOVET, CONSECRAT  
*C. F. MICHAUD.*

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10



CEPSA TE POTENTI  
IN MICOIA-LEONARIO-TRINCIUSCO  
Y DE LA  
SALOMON D'ACENAS, EGUITA  
DANTUR A UTOIS IN CANTABRICA AD VOCATO  
SUSCITO IN GIBELIA QVIRIA EMMATORE  
SUBREX A RATIONUM CURIIS LITERIS DISSEGOVATO  
DIGCAT, VOLAT, CONSECRA  
CIL MICHAEL



## THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

*An lati juxta intestinum rectum suborti abscessus quandoquè simplicem incisionem, quandoquè ipsius intestini sectionem requirant?*

**D**E latis ad ani marginem abscessibus dicturi, intestini recti & viciniæ Anatomiam, paucis verbis, & quantūm ad propositum sufficiet exponemus.

### *EX ANATOMIA.*

Ubi è sacco peritonæi exiit intestinum rectum, sub vesicâ urinariâ plicatur, anteriùs & inferiùs vergit, & paululùm ad dextrum latus ità inclinatur, ut vesica ab eo propulsa finitrosum sæpè-sæpiùs aberret. In intimâ ipsius fabricâ nihil occurrit quod ad nostrum hoc propositum conducat. Id duntaxat

A

advertemus fibras hujus intestini longitudinales alibi frequen-  
tissimas in extremo longanone plurimum rarescere, crebrescere  
vero circulares, unde emergit sphincter ani internus. Per  
omnem tramitem, sed praelertim circa finem copiofissimam  
cellulari telâ undique circumcingitur, quae in obesis adipe  
multâ refertur, nec etiam in macilentis omnino desideratur.  
Hæc præcipua sedes abscessuum qui propè anum nascuntur: per  
hanc cellularem telam serpunt, adipem latè depascuntur, sinus  
& fistulas efformant, & ita quandoquæ accrescant, ut hinc &  
indè pure innatet undequaque denudatum, vicinisque partibus  
omnino separatum intestinum.

Musculis inferius cingitur longanon, sphinctere scilicet cu-  
taneo & levatoribus. Hi musculi quemdam veluti fundulum,  
seu inversam concamerationem efformant. Mediante mem-  
branâ aponevroticâ à pube & ischio ossibus oriuntur, hinc  
obliquè posterius descendunt fibræ, aliæ prostatam & vesicæ  
collum amplectuntur, aliæ ad intestini recti latera procedunt,  
& ibi supra sphincteres inseruntur, aliæ demum posteriores &  
longiores majori etiam obliquitate ad coccygis latera proten-  
duntur.

Sub cute ponitur cutaneus ani sphincter: duobus fibrarum  
fasciculis componitur, qui transversim ani latera, coccygem  
inter & urethræ bulbum, amplectuntur, ita ut duo dici possint  
musculi alter à dextrâ, alter à sinistrâ positus. Posterius na-  
scuntur à coccygis ligamento, convergunt anteriùs, & in fasci-  
culum acuminatum desinunt, cuius fibræ tegumentis & bulbo  
cavernoso musculo inseruntur.

Longanoni & vicinis partibus sanguinem afferunt arteriæ  
hæmorrhoidales mediae & externæ, à pudendâ communi seu  
circumflexâ, hypogastricæ ramo, oriundæ: hæmorrhoidales  
mediae hanc intestini partem irrorant quæ in pelvi continentur,  
hæmorrhoidales externæ inferius descendunt, & in extremo  
longanone ut in sphinctere consumuntur. Vena cognomines  
sanguinem ab iisdem partibus revehunt. A tertio, quarto &  
quinto pari sacro anteriori nervi oriuntur.

#### È C H I R U R G I A.

Ex dictis superiùs de Anatomiâ facile videtur quām cele-  
riter increscere possint abscessus qui recti intestini confinia in-

3

festant. Plurimus enim ibi reperitur adeps, vacua hinc indè occurrentia undequaque replens : copiolissima adest cellularis tela, laxa, mollis, pervia, extensionis facile patiens; innumera hæc perreptant vasa quæ, & proprio situ, & partium prementium pondere, & sanguinis redditus difficultate, sæpiissimè ingurgitantur. Hinc promptissimè subit inflammatio, viciniam omnem depascitur, in pus convertuntur omnia, & ita corroduntur partes, ut veluti scalpello anatomico profectæ videantur.

Variis de causis ortum ducere possunt illi abscessus, sedulò & attentè considerandis, quandquidem indè pendet & prognosis statuenda, & curandi methodus eligenda. Cùm autem status intestini quid faciendum, quid cavendum imperiosè jubeat, generatim dividi debent in causas quæ ab intestini morbo nascuntur, & causas quæ aliundè deducuntur.

Inter hasce numerantur omnes quæ aut exteriùs in morbi sedem impinguntur, aut à morbo quolibet symptomatico pendent. Hinc ictus, lapsusve in anum aut in ani confinia, acus, aciculæ, spinæ, aliave corpora vel contundentia, vel perforantia, huc violenter adacta abscessui ansam præbere possunt, seu quòd sanguis in telam cellulosa effusus resolvi nequeat, & mox subsequenti inflammatione in pus convertatur, & simul attritæ partes ita subsideant & communuantur ut ad vitam reduci non possint, pariterque in pus aut materiam puriformem abeant; seu quòd corpora extranea aut ipsa in vulnere remanserint, aut saltem solâ continui solutione eadem adduxerint accidentia. Hinc post febres putridas & malignas critici juxtâ intestinum rectum tumores suborjuntur; post partum, ubi lochia & lacteus humor naturalem prætergrediuntur viam, hinc & indè serpunt, diffunduntur, & nonnunquam in ani confiniis, præ textu cellularis laxitate, colliguntur. Abscessus tandem quacunque de causâ seu in partibus vicinis, seu etiam longius, putaverus abdomen & thoracem adnatæ, per telæ cellulose areolas<sup>(1)</sup> aliquandò obrepunt, & in inferiorem pelvem ad anum usque delabuntur.

Ex causis quæ ab intestini morbo nascuntur frequenter nulla, quam corpora extranea quæ cum alimentis deglutita, pharyngem, œsophagum, ventriculum, & tubum in-

---

(1) Urinæ in perinæum infiltratio ita nonnunquam versus anum defluit, ut abscessum à longè aliâ causâ ortum mentiatur. *Vid. Obs. celeberr. Foubert, Act. Chir. Acad. T. III, p. 473.*

testinalem impunè pererraverunt, sed propè anum hærent, & intestini tunicas perforant. Indè sequitur rima, pro corporis perforantis mole, plū minusve dehiscens, quæ majorem minoremve stercoralibus humoribus viam permittit. Primo casu *gangrænosi*; secundo, *inflammatorii* nascuntur abscessus. Si enim parvâ tantum quantitate transferit stercoralis humor, cellularum textum duntaxat irritabit: hinc fluxio, ingurgitatio, & dein abscessus merè *inflammatorius*: si majori copiâ per latius iter transmittatur, longè latèque in viciniam se se insinuabit, &, ut ad putredininem sponte suâ vergit, facilè in eamdem perniciem confinia attrahet.

Ad intestini etiam morbum referendi sunt abscessus ab hæmorrhoidibus internis *rectumque lædentibus* oriundi, sed hic annotandum, ubi corpore extraneo ut osse, aciculâ, &c. perforatur intestinum, subitum acerriumque ingruere dolorem, lentiorem verò & mitiorem, si ab hæmorrhoidibus nascatur (1).

Externæ tandem causæ superiùs enumeratae ità quandòque ingravescere possunt, ut ipsius intestini morbum adducant. Si verbi gratiâ, tardiùs adaperto abscessu, diutiùs ibidem pus remaneat, acre & putridum fieri, viciniam omnem corrodet, intestinum denudabit, tunicas emaciabit, corruptet; tandemque *rectum* uno in puncto gangrænâ corruptum, escharâ cadente, perforabitur, fæcesque alvinæ seu saltem earumdem fluidior pars in viciniam transfudabit, & eadem, quæ secundo casu, nascuntur accidentia.

Ex dictis patet multùm inter se differre majores abscessus propè anum subortos. In aliis enim perforatur intestinum *rectum*, in aliis sanae sunt & integræ ipsius membranæ: undè in complicatos, & simplices dividi debent, & propriis singuli signis distingui.

Enimverò si simplices sint, & à causâ externâ orientur, commémorativis, uti vocant, signis innotescunt. Tunc igitur sedulâ rerum quæ morbum præcesserunt inquisitione, fidelique

---

(1) Meliorem hanc divisionem, clariorem diagnosim, veramque curandi methodum celeberr. hujus Coll. Magistro D. Caron debere confitemur, qui suos de hoc morbo labores cum regiâ Chirurg. Acad. communicavit. Hic magni momenti materiam leviter tantum perfstringimus, summam rerum duntaxat consecando; sed fusiùs copiosiusque hæc doctrina in ejus dissertatione explanatur, quæ, si typis mandata, publicam in lucem prodiret, male huc usque cognitum morbum novo lumine collustraret.

ægrotantis renuntiatione causa & proindè natura mali cognoscitur : si , verbi gratiâ , post iustum lapsumve , post malignam febrem , lochiorum suppressionem , &c. abscessus ingruerit , pro simplici jure ac merito habebitur.

Complicatos , seu qui ab intestini morbo pendent , distingues quòd vehemens subitusque præcesserit dolor , certissimum perforati intestini signum : mox subsequuntur tenesmus , prurigo , calor , qua omnia æ gri vel minimis motibus exasperuntur , sed non nisi paulò post prima hæc symptomata pus colligitur.

Ex his autem abscessibus alii , ut diximus , inflammatorii , alii gangrænosi : priores communibus inflammationis signis distinguuntur ; posteriores prodit durus & profondè latens tumor , intrà brevè temporis spatum mirum in modum increscens , rubedo cutis & in medio lividitas , cuticulæ à subjectâ cute in centro tumoris recessio , tandemque alta & dubia , nec nisi expertissimo digito percipienda fluctuatio .

Quantacunque sit puris collectio , quantacunque intestini recti denudario , si parietes illæsi remanserint , simplex morbus judicandus erit ; modò ne pure diutiùs in vicina putrefcente gangræna periculum immineat , quo casu , subsequenti recti perforatione , in complicatum degeneraret .

Si nascitur abscessus ab intestini perforatione , gravius malum . Si parva perforatio , inflammatorius ; si magna , gangrænosus erit abscessus : hic illo periculosior : tandem funestissimi ominis pronuntiabitur , si longiùs ab intestino distet exterior abscessus hiatus , si callosi & sinuosi tramites liberum utriusque aperturæ iter præcludant , si maxima sit intestini recti corruptio , si foramen interiùs altius situm explorationem eludat .

Duplex de horum abscessuum curatione generaliter opinio invalidit . Et quidem , celeberr . D. Saviard perfectam obtineri curationem non posse putat , quin intestinum rescindatur , & observatione hoc præceptum confirmat . Vid . noviss . edit . ann . 1784 , p . 184 , & seqq .

Idem censet Heisterus , p . 1119 , ubi » nondùm interrupto » intestino , sed ejus tunicis valdè erosis , & quasi resolutis , » curationem constantem sine secto intestino nunquam obtiri neri « pronuntiat .

Item , pag . 1123 , » abscessus ani sèpè redeuntes ut fistulæ curandæ , nam non nisi secto intestino & ani sphinctere curantur « .

Inferiùs demùm cùdem paginâ addit : » quandò in fistulâ

» externâ, vel etiam abscessu, paries intestini recti ab ulceratione itâ erosus est, ut digito in anum, specillo autem in fistulam immisis, valde tenuis deprehendatur, malum non curatur, nisi intestinum eo loco una cum sphinctere discindatur, quamvis intestinum ab ulcere non sit perforatum «.

Et hæc erat quoque opinio celeberr. D. Fager. *Vid.* ejus Dissert. in Actis Reg Chir. Acad. T. I, p. 389, & seqq.

Contrariam deinde opinionem amplexus celeberr. D. Foubert, aliam curandi methodum initivit, &, quæcumque fuerit abscessus origo, nunquam simul intestinum incidentum pronuntiavit. *Vid.* ejus Dissert. in Actis Reg. Chir. Acad. T. III, P. 473:

Sed in errorem pariter inciderunt utriusque doctrinæ sectatores, & ex certis quibusdam casibus generalem ad omnes alias casus consequentiam falsò deduxerunt; ac proinde neutra promiscue & indistinctè amplectenda, utraque tamen identidem, pro variis rerum circumstantiis adhibenda.

Quod si igitur externa sit abscessus causa, & ab intestini morbo neutram pendeat, ipsumque intestinum quantum quantum denudatum, sanum aliundè & integrum remanserit, simplex sufficiet incisio, curationi nihil obstabit intestini denudatio, & evacuato pure facile sanabitur ulcus.

Qui partium coadunationem eo casu fieri non posse contenebant, falsæ jam dudum recognitæ carnium generationi, & commentitiæ recti membranarum in se ipsas contractioni immerito innitebantur. Sublato enim corpore extraneo (pure scilicet) quod exteriores intestini membranas vicinis partibus admoveiri prohibebat, mox simul confervent, conglutinantur, & pristinum recuperant statum: idè autem erraverunt ejus opinionis fautores, quod valde dissimiles simul confundebant casus, & abscessum ab externâ causâ productum, à fistulâ recti internâ & indè subsequentibus accidentibus non satis distinguabant. Id aliundè Observationibus 1, 2 & 3, à celeberr. D. Foubert in Actis Acad. memoratis abundè comprobatur. *Vid.* diétam ejus diff.

Licet plerumque ad ejusmodi abscessuum curationem, cutem solâ veluti punctione incidere sufficiat, sunt tamen casus; quibus latè undique scapello saviendum: nempè ubi profundas radices egit morbus, ubi sinus, fistulae, cuniculi, totidem puris receptacula, unâ & eâdem incisione comprehendi nequeunt: singuli tunc aperiendi recessus, habenulae, & reti-

7

nacula (*brides*) à textu cellulari, vel membranis oriunda attente rescindenda, liberumque singulae puris scaturigini iter patefaciendum; quod ni facias, usque & usque renascentis hydræ repullulabunt & præsens periculum minabuntur seminia. Sed quantumvis profunda fiant eo casu incisiones, ab intestino tamen abstinentur, & licet denudatum fuerit, facile tamen, ut casu supiori, vicinis coalescer partibus. Quod cum plurimis, tum præsertim subsequenti cuius ipsi testes fuimus, observatione comprobatur.

Mulier 45 annos nata undecimo à partu die, acri dolore, versus sinistram clunem laborabat. Tumor aderat durus, inflammatorius, circumscriptus, qui à lacte retento produci videbatur. Aperto post hebdomadam abscessu, pus grumosum & graveolens, ad 4 libras exiit. Latè tum in longum, tum in latum incisa cute, cavum apostematis undique gangrenâ corripiebatur. Sinus aderant & receptacula, in quibus diù pus marcessere potuisset, nisi retinacula & habenulae textus cellularis caute sed sedulò resciissa fuissent. Ex puris in viciniam irruptione intestinum latè denudabatur, oculis subjiciebantur glutei musculi, ossa etiam sacrum & ilium periosteo orbata videbantur: octo dies sanies & ichor, post melioris moris pus fluebat: partes gangrenâ labefactatae paulatim secernebantur: nulla fuit sensibilis ossium exfolatio, & licet resciissum non fuerit intestinum pure denudatum, ad perfectam nihilominus sanationem, debito temporis spatio, pervenit ægra.

Ultimus tandem supereft casus, nempe ubi plus minusve perforatur intestinum & fæces alvinæ, seu saltem fluidior pars humorum stercoralium in viciniam effunduntur: tunc longè alia ineunda est agendi ratio: si enim simplici cutis incisione urgentibus tantum accidentibus mederi fategeris, nec ad ipsum malum fontem remeaveris, sedulus causarum scrutator, sanatus forsan primum videbitur ager, mox vero savius rerudescet morbus, & eo curatu difficilior evadet, quo diutius à verâ indicatione aberratum fuerit. Pretiosi enim temporis jaeturâ latius latiusque pus diffunditur, nascuntur recessus, cuniculi, fistulæ, callositates, &c. & ita ingravescunt accidentia ut doloribus acerrimis vexatus, tandem fato fungatur ager, infelix intempestivæ procrastinationis victima. Ubi igitur ab intestini perforatione (quæcumque fuerit perforationis causa) abscessum oriri cognoscetur, citò cito, quam proximè ad intestinum rectum incidentia cutis, puris scaturigo exhaustienda, & ad intestini rimam pe-

netrandum, ut uno tractu & abscessus tramitem & intestinum reseces.

Sed hic revocanda superior abscessuum in inflammatorios & gangrenosos divisio: in his enim longè periculosior foret vel minima cunctatio: à primâ igitur morbi invasione, vel antequam deprehendatur fluctuatio, profundâ incisione ad abscessus centrum perveniendum est: imò etiam magnæ latæque incisiones adhibenda, ut libera facilisque fiat textus cellularis degurgitatio; & in hoc quidem celeberr. D. Foubert opinioni adversamur, qui tunc simplicem incisionem suadet, fistulamque deinde curandam relinquit; nec injuriā, ut nobis videtur, id contendimus: enim verò aliquando forsan fieri poterit ut faustis rerum circumstantiis, pureque liberè abeunte, magni iterum non repullulent abscessus, sed sèpè sèpius aliter se res habebunt. Quod quidem sin satis rationibus allatis, abundè profecto Observationibus à celeberrimis DD. Saviard & Faget, plurimisque similibus demonstratur.

Ex his igitur concludere posse putamus, magnos juxta intestinum rectum subertos abscessus modò simplicem aperturam, modò ipsius intestini sectionem, pro variis rerum circumstantiis requirere.

*HANC THESIM, Deo duce, & Praefide M. PETRO-MATHURINO BOTENTUIT LANGLOIS, Artium & Chirurgiae Magistro, antiquo Scholarum Moderatore, antiquo Schola practica Professore, Regiae Chirurgorum Academiae Socio, in Supremo Senatu Patrone, tueri conabitur CAROLUS-FRANCISCUS MICHAUD Parisiensis, in alma Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister, Regiae Chirurgorum Academiae correspondens, Theseos Auctor.*

#### IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

PRO ACTU PUBLICO, ET MAGISTERII LAUREA.

*Die Sabbati 19 mensis Julii, à sesqui-secundâ, post meridiem ad septimam.*

---

*Apud CLOUSIER, REGIS, nec non regii Chir. Collegii, Typographum,  
via Sorbonæ: 1788.*